

ROSA MISTICA

Musiche delle monache lombarde del Seicento

CAPPELLA ARTEMISIA

CANDACE SMITH, direttore

voci: Alessandra Fiori (4, 13), Frida Forlani (7), Gloria Moretti (7, 10),
Alida Oliva (7, 10, 12), Fernanda Piccini(4), Rebecca Reese (10, 13 cornetto),
Candace Smith (4, 6), Silvia Testoni (10, 13), Patrizia Vaccari (4, 10),
Maria Ernesta Scabini (in Salve Regina);
viola da gamba: Bettina Hoffmann; tiorba: Francesca Torelli;
arpa: Loredana Gintoli; organo: Miranda Aureli.



Testi / Texts

1) O SUPERBI MUNDI MACHINA

Maria Xaveria Perucona

O superbi mundi machina,
o moles nimis grandiosa,
sed nimis praecipitosa
quando considero quod tu iaces
inixa vento
plena tormento
tremo et suspiro.
Nostra vita est sicut flos
in quo sola regnet nex
flatus spirans cinis est
qui dissolvitur.
Cavete mortales
habete horrores
sunt pompae dolores
sed sine contento.
Ad caelum ad Deum
ad sponsum amenum
accurrite o gentes
et istos flores labentes
pompas volate
honores deludentes
fugite omnes.
Sicut rosa matutina
cedit honor surgit spina
et diei lux plus bella
commutatur in procella
unde restat suspirare
quando credimus beare.
Satis dixi; nolo
amplius sperare,
nam terrena contenta
donant solum tormenta.

2) DUO SERAPHIM

(da Isaias 6,3/Joh. epistola I 5, 7-8)

Caterina Assandra

Duo seraphim clamabant, alter ad alterum:
Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Plena est omnis terra gloria eius.
Tres sunt qui testimonium dant in caelo:
Pater, Verbum et Spiritus Sanctus. Et hi tres unum
sunt.
Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Plena est omnis terra gloria eius.

3) AVE REGINA CAELORUM

Isabella Leonarda

Ave regina caelorum,
Ave domina angelorum.
Salve radix, salve porta,
ex qua mundo lux est orta.
Gaude virgo gloriosa,
super omnes speciosa.
Vale o valde decora
et pro nobis Christum exora. (Ora, ora.)

4) ARDETE

Bianca Maria Meda

Ardete celestes flammae,
ardete cor meum;
o dulcis ardor, o suave incendium.
Sum felix ardendo
et corda dum mille
accendunt scintille
delector languendo.
O caritatis refrigerans incendia
quanta repleor amoris dulcedine
dum totus ardeo celesti amore.
O ignes amati
ardores beati
accendite me.
Dum beor suspiro
ardendo respiro
confirmo in spe.
Care flamme caritatis
quam me belle recreatis.
Dum celesti amore
innocenti et ardore
mea corda consumatis.
Alleluia

5) LAETATUS SUM (Ps. 121)

Chiara Margarita Cozzolani

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi:
in domum Domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Ierusalem.
Ierusalem, quae aedificatur ut civitas:
cuius participatio eius in id ipsum.
Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini:
testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.
Quia illic sederunt sedes in iudicio
sedes super domum David.
Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem:
et abundantia diligentibus te:
Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, et proximos meos,
loquebar pacem de te:
Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona
tibi.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Sicut erat in principio et nunc et semper
et in saecula saeculorum.
Amen

6) O SERENAE PUPILLAE

Rosa Giacinta Badalla

O serenae pupillae,
o cor iucundum,
lacrimas preparate.
Surgite, non tardate,
errores multi sunt,
culpe sunt tante
et tu, anima ingrata,
damna maculas tuas,
fuge peccata.
Quantae stellae in coelo serenae,
quantae sunt in mari arenae,
tanti mecum sunt errores.
Ergo surge et suspirio
in profundo moerore Anima non dormire
si non cupis perire.
Quam suave Iesu care
tecum stare.
Dolores languores,
inique tristitiae
sunt vere laetitiae.
Te semper amare,
tecum stare,
quam suave Iesu care.
In dolorosa poena
misera suspirabo
afflicta lacrimabo
et omnia peccata hodie lavabo.
Deh suscipe me,
redemptor amate,
si summa pietate
desidero te.
Alleluia.

7) PSALLITE SUPERI

Dialogo (da Cantico dei Cantici 6/9)

Chiara Margarita Cozzolani

Psallite superi,
plaudite caelites,
canite angeli,
jubilate.

Quae est ista quae ascendit, aurora consurgens?

Maria est
quae noctem peccati depulit,
gratiae diem protulit,
justitiae solem peperit.

Psallite...

Quae est ista quae ascendit pulchra ut luna?

Maria est
humore faecunda caelestium gratiarum
ut soli Deo placeat.
Spiritu Sancto superimpleta
ut terris gratias influat
ut miseris mortalibus depluat.

Psallite...

Quae est ista electa ut sol?

Maria est
sola peccati nescia
ignara noctis Tartari virtutum luce fulgida
vitae caelestis radiis coronata.

Psallite...

Quae est ista terribilis ut castrorum acies ordinata?

Maria est
singularis inimica diaboli
metuenda diabolo
invisa terribilis, formidabilis,
expugnatrix, debellatrix, triumphatrix
Maria diaboli.

Quae est ista?

Maria est.

Psallite....

8) SALVE REGINA

Caterina Assandra

Salve Regina,
Mater misericordiae
vita dulcedo et spes nostra, salve.
Ad te clamamus exules filii Hevae,
ad te suspiramus gementes et flentes
in hac lachrimarum valle.
Eia ergo advocata nostra
illos tuos misericordes oculos ad nos converte.
Et Iesum benedictum fructum ventris tui
nobis post hoc exilium ostende.
O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

9) GAUDE PLAUDE

Maria Xaveria Perucona

Gaude plaude,
summa laude sine fraude
quantum potest tantum aude,
gaude plaude,
plaude turba catholica
plaude Virgini, plaude martiri [Sanctae Ursulae].
Qui tentatus et afflictus
derelictus quasi victus
iacet inter angustias.
Illa vicit superavit
mortem feras et tyrannum.
[Sancta Ursula] speculum virtutis
gloriosae dux salutis
solatium reorum [Sancta Ursula].
O felices cicatrices,
o beata vulnera,
clara signa victoriae
quantum potest tantum aude
gaude plaude,
et duplicemus gaudia.
Tu, o Virgo,
tu, o martir
ad tui gloriam assume modulos
assume cantica.
Et te semper cantabo: Alleluia.

10) O CAELI CIVES Dialogo
Chiara Margarita Cozzolani

O caeli cives,
o angeli pacis,
audite, volate, venite, narrate:
ubi pascat, ubi cubet
Christi sponsa Catharina?
 In caelo quiescit
 et inter sanctos pax illius est.

O felix requies, beata sors!

Dicite nobis:

ubi regnat exaltata coronata

Christi sponsa Catharina?

 In caelo nunc regnat

 et inter sanctos regnum eius est.

O felix regnum, aeternum regnum,
beata sors!

Dicite nobis, angeli Dei:

ubi regina gloriosa triumphat?

 In caelo triumphat,

 et inter sanctos palma illius est.

O felix triumphat, o palma beata,
beata sors!

Dicite nobis:

ubi jubilans gaudet, exultat, laetatur

jocunda Catharina?

 In caelo congaudet, exultat, laetatur

 et gaudium eius plenum est.

O dulcis risus, o felix gaudium,
o beata sors!

Ergo casta Christi sponsa Catharina

in caelo quiescit?

 In aeternum

In caelo nunc regnat?

 In aeternum

In caelo triumphat?

 In aeternum

In caelo laetatur?

 In aeternum.

In aeternum,

in caelo nunc regnat, quiescit,

triumphat, exultat, laetatur,

in aeternum cantabit: Alleluia.

11) O DULCIS AMOR JESU
Caterina Assandra

O dulcis Amor Jesu,
dulce bonum dilecte mi;
sagittis tuis confige me,
moriar pro te.

Ah, mi Jesu,

trahe me rogo post te,

inter flores pone me,

tu sol, tu spes, tu vita,

tu bonitas infinita.

12) OCCHI IO VISSI DI VOI
Claudia Sessa

Occhi io vissi di voi
mentre voi fosti voi; ma spenti poi
vivo di vostra morte,
in felice alimento
che mi nutre al tormento
e mi manca al gioire
per far vivace morte al mio martire.

13) GAUDETE GAUDIO MAGNO
Claudia Francesca Rusca

Gaudete gaudio magno martyres Christi.
Alleluia.

Gaudete et exultate quia merces vestra
magna est in coelis.

Alleluia.

14) LITANIE DELLA B.V.M.

Isabella Leonarda

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de Coelis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte, Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Mater Christi, ora pro nobis.
Mater divinae gratiae, ora pro nobis.
Mater purissima, Mater castissima, ora pro nobis.
Mater inviolata, Mater intemerata,
Mater amabilis, Mater admirabilis,
Mater creatoris, Mater salvatoris, ora pro nobis.
Virgo prudentissima, Virgo veneranda,
Virgo praedicanda, Virgo potens,
Virgo clemens, Virgo fidelis, ora pro nobis.
Speculum iustitiae, sedes sapientiae,
causa nostrae letitiae, ora pro nobis.
Vas spirituale, vas honorabile,
vas insigne devotionis, ora pro nobis.
Rosa mystica, turris Davidica, ora pro nobis.
Turris eburnea, domus aurea,
foederis arca, ianua coeli,
stella matutina, ora pro nobis.
Salus infirmorum, refugium peccatorum,
consolatrix afflictorum, ora pro nobis.
Auxilium Christianorum, ora pro nobis.
Regina angelorum, ora pro nobis.
Regina patriarcharum, ora pro nobis.
Regina prophetarum, ora pro nobis.
Regina apostolorum, regina martyrum, ora pro nobis.
Regina confessorum, regina virginum,
Regina sanctorum omnium, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
parce nobis, Domine.
Agnus Dei, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.